



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

De Cærimonijs in priuata Horarum Canoniarum recitatione. Cap. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40244

in Pontificali antiquo, cum Cantico, Antiphona, Versibus, & Orationibus, vna mutata, & altera anticum addita, vt ferè idem sit cum nostro Clericorum Itinerario. Porro Antiphona, Canticum Zachariæ, Preces, & Orationes, quarum vltimæ

duz diuifim habentur in Sacramentorum libro sancti Gregorij, sunt itineri cuicumque faciendò satis accommodatæ. Conuenit autem Clerico semper orare, vt itinere suo perueniat ad Deum. Atque hic finis est Breuiarij Romani.

SECTIO DECIMA.

De Cærimonijs ad Horas Canonicas adhibendis.

HORAE Canonicae vel ab vno, vel à pluribus simul, vel extra Chorum, vel in Choro, vel solemniter, vel minùs solemniter recitari possunt: quibus modis cum peculiare accidant Cærimoniae, de his reliquum est vt breuiter agamus.

SECTIONIS DECIMÆ CAPITA III.

- 1 De Cærimonijs in priuata Horarum Canoniarum recitatione.
- 2 De Cærimonijs Horarum Canoniarum

- in Choro recitandarum.
- 3 De Cærimonijs Horarum Canoniarum in Choro solemnitus recitandarum.

De Cærimonijs in priuata Horarum Canoniarum recitatione.

CAPITULUM I.

Conuenienter statur ad Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, quia sunt de textu Euangelico, ad Symbolum item Apostolorum, vt ad fidei confessionem promptiores videamur. Item ad Horarum initia, quibus adiutorium diuinum imploramus, & laudem Deo trino tribuimus. Ad Inuitatorium, ne

segnes videamur, dum alios inuitamus. Ad Hymnos, qui sunt laudes Dei solemniores, inter quos *Te Deum* quoque numeramus. Ad Versus quoque Nocturnorum, & post Hymnos, quia ijs, vt docuimus supra, conuertimur & excitamur in Deum. Ad textum Euangelij ante Homiliam, quod per se patet. Ad Capitula, quæ sunt breues exhortationes maiorum. Ad Cantica, *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*, quæ vocantur Euangelia. Ad Orationes denique omnes, quibus imme-

immediatè Deum alloquimur (excepto triduo maioris Hebdomadæ) & ad Preces quæ præcedunt.

2 Standum erit tempore Paschali, & in omnibus Dominicis, à primis earum Vesperis ad Antiphonas B. Virginis, quæ dicuntur in fine Officij, ex causis suprâ allatis.

3 Ad Psalmos standum esset, vt suprâ probauimus *Secl. 5. cap. 8.* sed plurimi sedent, non pauci partim sedent, partim stant; quia spiritus promptus, caro autem infirma. Ad Lectiones quoque in Officio paruo B. Virginis in Aduentu laudabilius fatur; quia sunt de Euangelio.

4 Genuflectendum autem erit ad ea verba lauatorij, *Adoremus, & proci- damus*, vt in Cærimonial. Episc. *lib. 2. cap. 6.* quod monent eadem ipsa verba. Item ad Preces feriales in Laudibus, Vesperis, & Horis, in diebus nimirum pœnitentiæ dicatis. Item ad Preces in Officio Defunctorum, maioris mœroris gratia. Item in Hymnis ad ea, *Veni Creator Spiritus, Ave Maris stella, O Crux aue spes vnica, Tantum ergo Sa- cramentum*, si coram Sacramento dicitur, ex Cærimoniali Episc. *lib. 1. cap. 28.* quidam laudabiliter ad ea quoque, *O salutaris hostia: & causæ patent, ad ma- iorem reuerentiam. qua etiam de causa genuflectimus ad ea in Hymno Te Deum, Te ergo quaesumus, &c.* ex Cærimoniali *lib. 2. cap. 5. & 6.* Denique ad Antiphonas B. Virginis, quæ dicuntur in fine Officij; & ad Orationem Domini- cam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum, quæ dicantur in fine Completorij (exceptis Do- minicis, & tempore Paschali, vt suprâ dictum est) erit genuflectendum.

5 Præterea caput inclinandum erit ad Versum, *Gloria Patri, & Filio, &c.*

ad nomen Iesu, Mariæ, & Sancti de quo Officium recitatur. Item ad *Confiteor, &c.* quod in Prima & ante Com- pletorium dicitur, vsque ad *Miserere- tur* inclusiue, ab eo qui dicit, & cui di- citur respectiue, vt in Missa.

6 Signum Crucis adhiberi debet, pollice sibi signando os, ad illud initio Matutini, *Domine labia mea ape- rias, &c.* vt in Rubricis Brev. de *Matu- tino tit. 13. num. 1.* Item manu extensa signando se à fronte ad pectus, & à si- nistro humero vsque ad dextrum, cum dicitur, *Deus in adiutorium, &c.* Item ad Versum, *Adiutorium nostrum*, ante Confessionem in Prima & Com- pletorio, sumpto ritu è Missa, vt *tit. 15. dicitur de Prima num. 2.* Item ad *In- dulgentiam*, vt in Missa; & ad ea in fi- ne Primæ, *Dominus nos benedicat*; & in fine Completorij, *Benedicat, & cu- stodiat nos omnipotens, &c.* Aliqui si- gnum Crucis cum pollice formant in pectore ad *Conuertere nos Deus, &c.* quæ omnia causas habent satis apertas, & congruentes. Laudabile quoque est, signum Crucis fieri ad Antiphonam de Cruce in Officio feriali.

7 In Psalmis Gradualibus quæcum- que Preces dicuntur flexis genibus, ad mœrorem & luctum indicandum; multoque magis hæc genuum flexio congruit Pœnitentialibus Psalmis, Li- tanijs, & Orationibus (quæ tamen Orationes à stante Hebdomadario di- cuntur) vt præscriptum est in fine Bre- uiarij. Ad alia non incongruè sedetur. Percutiunt sibi pectus aliqui ad *Agnus Dei*, sicut fit in Missa. Bene verò per- cutiunt ad ea in Confessione, *mea cul- pa, &c.* vt itidem fit in Missa.